



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 40. in pseudopoliticos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

bus. Hunc gladium Iesus ipse venit in terras mittere, docuitque exemplo suo pugnare, vincere, triumphare.

S. 8.
Neglectores concionum iudicio Drexelij pellimi & reprobi sunt.

Vix quidquam severius ac nè verius quidem in neglectores divini Verbi dici potest, quàm quòd doctrinâ & sanctitate celeberrimus Drexelius dixit: *affirmatè ajo, quisquis sacras conciones temerè negligit, certè intus & in cute nequam est, & scetet peccatis. nulli, qui conciones negligunt, sanctè vivere possunt. infallibilia enim sunt illa æternæ Veritatis verba Ioann. 8. propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Si ex Deo non sunt, ergo reprobi, ergo vitij ultra aures pleni, ergo desperati sunt, sicut vicissim manifestam salutis spem habent, qui quidvis aliud negligere malunt, quàm Verbum Dei. affecurat ejusmodi Sanctus Hieronymus, quod prædestinationis tesseram circumferant: nullum est majus prædestinationis signum, quàm libenter audire verbum Dei. quid ô Hieronyme!*

nunquid majus est frequenter communicare, devotè orare, eleemosynas elargiri? negat Sanctus Hieronymus & cum eo Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Ioann. c. 11. audacter pronuntians, & Judæ exemplo demonstrans, magis satagere dæmonem, ut à concione homines, quàm à Sacramentorum perceptione impediatur, avertatque, *inter ea quæ fiduciam præstant, inquit Sanctus Bernardus ferm. 1. in septuag. & materiam spei unum illud maximum est: qui ex Deo est, verba Dei audit.* & infert contra neglectores: *in his ergò salutis signa non video, magis autem vereor, nè fortè propterea non audiant verbum Dei, quia non sunt ipsi ex Deo.* His quid vehementius dicam non habeo.

* * *
* * *
* * *



PHILIPPICA XL.

In Pseudopoliticis.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Nisi abunda veritatis vestra plusquam Scribarum & Phariseorum non intrabitis in Regnum cælorum. Matth. 5. v. 20.

S. I.
Pharisei multos Christianos in exercitio bonorum operum superabant.

Fallar! nisi plerique Christiani omnibus deteriores Phariseis, atque hi præ illis in Sanctorum censum referendi sunt. Quod nè audaciùs quàm veriùs à me dictum videatur, ad opera Pha-

riseorum provoco, ex quibus cognosci possunt. Eleemosynas illi immensas erogabant, ad easque recipiendas tuba convocari pauperes faciebant, decimarum redditotes accurati, in gazophylaciù templi grandia inferebant donaria; Christiani è contra aures non rarò claudunt,

dunt, nè voces pauperum exaudiant, perdidisse se autumant, quid quid Ecclesiae donant. Pharisei in orationibus propalam in platearum angulis, absque respectu humano faciendis assidui, observatores jejuniorum ac festorum austeri, tenerimique, in templo mane, vespere, noctu frequentissimi, legis divinae, quam in fronte, & manicis gestabant, zelatores acerrimi, blasphemiarum & impudicitiae hostes jurati, unde & publicanorum convivia, & peccatricum consortia cautissime devitabant. & quid horum plurimi Christiani? pudet palam ad campanae signum orare, piget Sabbato vel carnibus abstinere, pudet in templo impudentem non esse, piget frontem cruce signare, poenitet occasionem peccandi intermittere, proh nostra coram Phariseis confusio, subsannatio, condemnatio! & tamen veritas asferit: *nisi abundaverit justitia vestra plusquam Phariseorum, non intrabitis regnum caelorum.* Non placuit haec Phariseorum justitia justissimo Numini, nam inanis fuit, quia ex inanis gloriae motivo, propter interesse, ut ajunt, proprium processit. Quod cum idem prorsus sit, studium nostratum pseudopoliticorum, non me amplius contineo, quin omnes intendam nervos ad eosdem salubriter perstringendos.

Matth. 5
v. 20.

§. 2.
Querela
Justi Lipsij
contra no-
stri tempo-
ris mores
cent. 2. ep.
6.

Verissimum est quod Justus Lipsius scripsit: irritamus quotidie magnum illud Numen, & quasi puniendi justae causae non sint, damus novas, quando luxus, fastus, libido major, impunitior? & religio passim nunc in ore, improbitas in corde. verba pietatem sonant, facta ambitionem, avaritiam, nec in uno alterove, sed apud plerumque ordinem, aetatem, sexum, haec ille Justus. Fermentum hoc hypocriteos totam naturae humanae maf-

sam sic infecit, ut nulla regio, urbs, pagus, communitas nulla, pura sit ab hoc crimine pessimo (ita Richardus hypocrisim nominat) & praeter ceteris abominando, de quo Joseph fratres suos apud Patrem accusat, & quod Deus singulariter detestatur.

Richardus
à Sancto
Vigore
part. 1. c.
69.

O hypocritae! o pseudopolitici! quibus ego vos conferam, quibus coloribus ad vivum exprimam? dicamne rapaces sub ovinis pellibus lupos, ululare cum lupis doctos? at lupis omnibus rapaciores estis. dicamne cum Jobo struthionibus alis quidem more aliarum avium praeditos, volandi tamen usu destitutos (ita hypocrisis cunctis inventibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat. teste Gregorio lib. 31. moral. c. 5.) sed Struthionum istarum pennae non in ducum caelestium, Angelorum inquam, galeas condecorandas, sed ad draconum infernalium syrma exornandum in contumeliam, aeternam assumuntur. dicamne cum Tertulliano cygnos, qui foris plumas candidas, intus carnes subnigras habent: *exteriorius candicant probitatis specie, interiorius nigri sunt tetrâ vitiorum labe,* at non cantabunt in morte cum cygnis suaviter, sed horrendum vae ululabunt. Dicamne cum Damiano nives? *nix alba est, sed frigida. hypocrita ad instar nix est albus, sed frigidus, quia pijs se quidem operibus deservire simulat, sed is viscera solidae pietatis ignorat.* at orietur aliquando Sol justitiae, dissolvétque has nives, ut quid fordium sub iisdem latuerit, orbi pateat universo. dicamne cum ipsa Veritate *sepulchra dealbata*, at utinam sepulchra essent chrysellina, quale Ptolomæus Alexandro Magno legitur excitasse, ut quanta intus condita sint vitiorum cadavera, ab omnibus perspici possit.

§. 3.
Similitudines
hypocritarum
& tituli
quibus à
SS. Patri-
bus dede-
corantur.

Tertullianus
lib. de
cib. jud.

Petrus
Dam. lib. 6.
ep. 32.

Matth. 23.
v. 27.

Con-

Tertull. de
spect. c. 26.
D. Hiero-
nymus ep.
28.
S. Amb. lib
6. hex. c. 8.
S. Bernar-
dus ser. 33.
in cant.
S. Greg. lib
25. moral.
c. 14.
S. Athana-
sius lib. de
similit.
S. Chrylo-
stomus ho-
mil. 43. ad
pop.

Concertant Doctores de titulo, quo hypocritæ insigniendi, ut eò magis odio omniù digni demonstrètur. vocat eos Tertullianus *adulteros virtutis*, Divus Hieronymus, *res monstrosas seu chimæras*, Sanctus Ambrosius *bestiales feras*, formâ *hominum indutas*, Sanctus Bernardus, *seruos Antichristi*, Sanctus Gregorius, *Antichristi membra* quia omniù hypocritarum caput Antichristus, Divus Athanasius *martyres diaboli*, Sanctus Chrysostomus *diabolos incarnatos & viva demonia*. Magnus hypocrita est diabolus, ipse se transfiguratur in angelum lucis, ait Sanctus Antoninus. cecidit diabolus ut fulgur: *vidi Satbanam sicut fulgur cadentem* Luc. 10. & tamen draco erat: *projectus est draco* Apoc. 12. per apparentiam fulgur, reipsâ draco, qui hianti rictu universos homines appetit, ideoque in angelum lucis se hodiè que transfiguratur, unde signanter à Christo dictum est: *vidi Satbanam sicut fulgur, quia dejectus*, Bedam ex Sancto Thoma in cat. recito, *adhuc transfiguratur se in angelum lucis*, exhibiturus sese denuò in fine vitæ draconem, quando videlicet affectas suos hypocritas deglutiet, quemadmodum Monacho illi accidit, de quo testis oculatus scribit Gregorius, cum animam ageret, exclamare audito: quando me vobiscum credebatis jejunare, occultè comedebam, & ecce nunc ad devorandum draconi traditus sum, qui caudâ suâ mea genua pedesque colligavit, caput verò suum intra os meum mittens, Spiritum meum ebibens extrahit. Hæc ille cum dixisset, impœnitens vixit, atque ad eum abîit, cujus personam in hac vitæ scena exegit.

§. 4.
Hypocri-
tæ similes
diabolo

An non hypocrita ille dæmon in laudes Christi profusissimus: *sine; quid nobis & tibi Iesu Nazarene, venisti perdere nos, scio te, quis sis, San-*

ctus Dei Luc. 4. v. 34. verba ad speciem pulchra, cœlestia, divina, sed sceleratâ mente prolata, unde scrutator cordium mox illi silentium indixit: *comminatus est ei Iesus dicens: obmutesce*. noluit enim, ut Spiritus mendax veritatis fieret testis, ait Laurentius Justinianus. Tales linguas habent pseudopolitici nostri melle plenas, cum cor felle magis felleum sit; amicitias meras loquuntur, nec nisi vindictam & funera spirant, servos & clientulos se simulant, nec nisi tyrannides moluntur, judæis illis Christicidis perfimiles, qui dum cædem cruentissimam molirentur, immunissimi tamen à morte illa videri affectabant, uti acutè observavit Augustinus in ps. 63. *exacuerunt ut gladium linguas suas*. ipsum est totum acumen judæorum, hoc est, quod pro magno quæsierint. Occidamus & non occidamus; sic occidamus, ut non ipsi occidisse judicemur. acerba & acuta consilia! non tradatur per nos, sed per discipulum suum, non occidatur à nobis, sed à iudice, totum nos faciamus, & nihil fecisse, videamur. & ubi est clamor linguæ, crucifige! crucifige! sic cæci estis, ut & surdi sitis? simulata innocentia, non est innocentia, simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quod & iniquitas est, & simulatio. Hæc ad verbum Præsul Hipponensis.

Marc. 1. v.
25.

Hypocritæ sub signo scorpij nati videntur, scorpionum enim genus & Virus æmulantur; iudicium hoc Tertulliani est in scorpiaco c. 1. *tot venena, quot ingenia, tot pernicies quot & species, tot dolores, quot & colores, & tamen unus omnium violentiæ gestus, de cauda nocere*. nunquam pungit Scorpius, antequam ungat, carnem leniens & & ore lingens, unde Plinius: obliquo & inflexo ictu subdolè ferit. vid

§. 5.
Hypocri-
tæ unguunt
ut pungant
sicut judas.

D d

de

de Judam inflexum ad osculum. ò Juda osculo filium hominis tradis? osculo me tradis quod est signum amoris, & indicium veræ dilectionis inquit Sanctus Paschasius lib. II. in Matth. pignus offers verè pacis, sed vulnus infligis & venenum serpentis. Similiter Sanctus Ambrosius in ps. 39. venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur, osculo quod sacræ pacis insigne est, osculo quo amicitia fida firmatur. osculo tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari debes. Sed habet Judas multos fratres, plurimos affeclas, apud omnes enim hoc tempore (verba do Sancti Cyrilli Alexandrini in v. 4. cap. I. Oseæ) non est veritas, apud omnes enim hoc tempore multum est calumniarum, perjuri, fallaciæ, ac doli: ubique labia dolosa in corde & ore locuti sunt ps. II. labio blando, inquit Tigurina; at corde duplici & diverso loquuntur.

§. 6.
Hypocri-
tæ à ne-
quissimis
septem
spiritibus
possessi.

Spiritus ille nequam, qui in cor Judæ introivit, per multorum corda coloniam duxit, hic est Spiritus ille immundus, de quo veritas Luc. II. v. 23. cum immundus spiritus exierit de homine, vadit & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi. placet scire, quinam illi septem nequiores sint spiritus? nemò felicius quàm sanctus Prosper id expressit de promiss. & bened. pag. 2. c. 39. Spiritus ma-
lus est Spiritus superbiæ, nequior,
illo simulatio humilitatis; spiritus,
malus spiritus invidiæ, nequior illo,
simulatio charitatis; Spiritus mal-
us, Spiritus mendacij, nequior illo,
simulatio veritatis; spiritus malus,
spiritus luxuriæ, nequior illo simu-
latio castitatis; Spiritus malus Spiri-
tus avaritiæ, nequior illo simulatio,
misericiordiæ. hi sunt hypocrita-
rum Spiritus, unus & septem, ut,
constet hypocritam esse sceleratum

ut octo, & esse plusquam universi-
tatem iniquitatum. Si enim Mag-
dalena ideo dicta est iniquita-
tum universitas, quia septem spiri-
tibus ancillata fuit, quid de hypo-
critis sentiendum erit, qui octo spi-
rituum, quorum primus nequissi-
mus, secundus nequissimo nequior,
tertius secundo, facti sunt domici-
lium, imò mancipium. Ex quo li-
quet hypocrisin esse malitiæ sum-
mam, & peccatorum complemen-
tum. Revelata est iniquitas Ebra-
im & malitia Samariæ, quia operati
sunt mendacium. Oseæ 7. v. I. tan-
quam extrema malitia describitur
operatio mendacij sive hypocrisis,
quam Deus denique revelare com-
pellitur & damnare.

Adverto primipilos damnato-
rum & principales, ut sic dicam, in-
ferni titiones fuisse ipsissimos pseu-
dopoliticos simillimos ijs, quibus
nostrâ hâc heu! infelicissimâ ætate
mundus redundat, primus damna-
torum Cain, & nunquid Cain pseu-
dopoliticus? egrediamur in agrum.
sub specie amicitiae innocuum ag-
nellum ducit ad macellum. Pro-
torex Solymæorum Saul, protorex
Samarie Jeroboam, projectus uter-
que à Deo & in sensum reprobum
datus, an non uterque par nobile fra-
trum pseudopoliticorum? primus
ex Christianis damnatis Judas, &
quidem eo ipso die ac momento in
centrum æternarum calamitatum,
deturbatus est, quo homo - Deus
salutem operatus in medio terræ,
an non Judas pseudopoliticus? pri-
mus in ordine profundissimè dam-
nandorum Antichristus, & nunquid
pseudopoliticissimus Antichristus?
itâ est, sceleratorum consceleratissi-
mi sunt hypocritæ, atque idcirco
inter damnatos damnatissimi, pro-
fundissimum sibi locum vendicant
in gehenna.

Nec in futuro solummodo sæ-

§. 8.
tur. Puniantur

§. 7.
Primipili
damnato-
rum sunt
hypocrite

in flagran-
ti sicut ho-
spes veste.
carens nu-
ptiali.
Matth. 22.
v. 11.

culo gravissimè excarnificantur pseudopolitici sed in hoc quoque repentinis calamitatibus obruuntur. Deprehenditur in nuptiali convivio hospes non habens vestem nuptialem, & illicò jubetur ligatis manibus & pedibus mitti in tenebras exteriores; cur non in diem sequentem indulgetur mora, aut saltè post convivium? cur nullius prorsus gratiæ spes affulget? quid dicent reliqui hospites visâ hac tragædiâ, quale gaudium, quam confidentiam in Regem concipient? parùm refert, dicant quod volunt, hospes iste pseudopoliticus fuit, exteriorem quidem vestem honestam attulit, alioquin non intromitendus, sed interior defuit, amicum se finxit, exteriùs bene vestitus accessit, gaudium simulavit, idcirco finè misericordia abjicitur. ita Sancti Hieronymus, Hilarius, Chrysostomus, & Sanctus Ambrosius ser. 3. de Nativ. propterea ergò ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores expellitur, non solum quia peccator erat, sed quia peccator cum esset, sanctitatis sibi meritum vendicabat. hæc subitanæ vindictæ causa nimirum gaudium hypocritæ ad instar puncti Job. 20. v. 5. in puncto projicitur in tenebras, qui filius lucis videri, non esse volebat, projicitur in fletum, qui ad oculum serviebat, in stridorem dentium, qui instar nivis frigidus fuit. Nec citò tantum punit Deus, verum etiam diu.

§. 9.
Pœna hy-
pocrita-
rum diu-
turna.

Secundo Reg. 21. invenies continuam trium annorum famem in Judæa propter Saul. & domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas, Deus juste! antiquum hoc peccatum est, & ut sic dicam inter alia levissimum. Si supplicium infligendum est, cur non propter sacrilegam temeritatem, quòd sacerdotale munus sibi Saul usurpavit? cur non propter occisos innocentes sa-

cerdotes, octoginta quinque viros vestitos Ephod & civitatè Nobe devastatam? cur non propter diabolicam invidiam, ex qua innoxium Davidem perjurus focer occidere toties tentavit? cur non propter magiam, quòd Pythonissam consuluerit? Gabaonitas occidisse, hoc minimum inter scelera Saulis videri poterat, eò quòd idololatræ & capitales judæorum hostes sæpiùs fortassè causam dederint, ut jusjurandum dolo impetratum à Josue rescindi, & gens Gabaonitica extirpari posset. Verum scripturam ipsam audiamus, unam pro causis mille reddentem, cur tantoperè excidium Gabaonitarum Deo displicuerit, & triennali fame in universo regno sit multatum. *Voluit Saul percutere eos zelo quasi pro filijs Israël*, hoc est, ut Carthusianus explicat: simulavit se hoc facere zelo legis, zelo justitiæ, sub prætextu religionis. Habebant Gabaonitæ ex gratioso Numinis & Josue indulto possessiones agrorum nobilissimas in tribu Benjamitica, è qua Saul oriundus; quas cum pseudopoliticus princeps citra manifestam tyrannidem ad se attrahere non posset, zelum Dei simulavit, sub eaque larva Gabaonitas omnes trucidavit, quasi decens non esset, ut zizania in medio tritici crescerent, & in populi electi meditullio scandalum tolleretur. expirasse jusjurandum suo cum authore, aliud nunc postulare rationem statûs, & jus novi regis. ita reprobis Saul vitium avaritiæ pallio pietatis involvit, & homines quidem fallere potuit, non tamen hominum custodem ac Judicem, qui hoc Saulis flagitium in posthumo populo vindicavit, ut dubitari non posset de enormi hypocritarum pœna in vita altera, cum in præsentem propter unius crimen gravissimâ calamitate, quæ fa-

2. Reg. 21.
v. 2.

S. 10.
Osties
dicitur vae
hypocritis
Matth. 23.
à v. 13. ad
29.

mes est, triennali fame torqueatur.
O hypocritæ! ò pharisæi! ò scri-
bæ! extremum nunc ego vos allo-
quor, vos inquam, qui devoti cum
Saule, benevoli cum Abfalone, ju-
sti cum Achabo, liberales cum
Herode, continentes cum Antio-
cho, sobrij cum Juda, mansveti
cum Achitophele, veraces cum
Anania apparere vultis, sed non
esse; impij, seditiosi, injusti, a-
vari, obscaeni, ebrij, crudeles, men-
daces esse vultis, sed non videri; aut
apparete quod estis, aut estote quod
apparetis. *ecce ante humanos oculos
aliud ostendit vita vestra*, Gregori-
um Magnum audiatis in c. 40. Job, &
ante divina judicia aliud ostendit a-

nima & conscientia vestra. Incor-
ruptus ille Judex qui pro omnibus
electis octo beatitudines assignavit,
osties vae unicâ dictione contra hy-
pocritas protulit, ut sicut Cœlites
non tantum térque quaterque bea-
ti, sed ut octo sunt beati, ita vi-
cissim hypocritæ plusquam ter,
quaterque miseri. *vae vobis scri-
bæ & Pharisæi hypocritæ!* infelices
ut octo, scelerati ut octo, ex-
carnificandi ut octo, vae
vobis! vae! osties
vae!

* * *
* * *
* * *



PHILIPPICA XLI.

In ebriosos.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Saturati sunt. Marc. 8. v. 8.

S. I.
Cur Chri-
stus vinum
populo
non appo-
suerit.



Proverb.
31. v. 6.

um perfecta DEI
sint opera, scire
percuperem, cur
Dominus quater-
na virorum millia
solo pane saturâsse
scribatur, non au-
tem vinum suppeditâsse, ut gaudi-
um esset plenum. si enim sicera dan-
da est ex sapientis consilio mœren-
tibus, & *vinum his, qui amaro sunt
animo*, cur populo triduanâ fame
affecto, multisque (quis dubitet?)
confecto mœroribus ac amaritudi-
nibus vinum non datur, quod læ-
tificat Deum & homines? si rebel-
libus Israëlitis mel de petra & ole-
um de saxo durissimo in potum pro-
fluxit, cur fidelibus Christi affectis
ex viva petra & vite vera, qui ipse-
met Christus est, vinum non pro-

pinatur? in Cananæis nuptijs pau-
culorum gratiâ hospitum aquam in
vinum convertere & valuit & vo-
luit, cur in tanti populi grati-
am aquam in vinum transmutare
non placet? non novi equidem sen-
sum Domini, nec consiliarius e-
jus fui, si tamen effari mihi licet,
quod in Domino libet, audacter as-
severo, ideo potius mentionem non
fieri, quia qui saturati sunt, idumæi
non Alemanni fuere, his enim sic-
cum convivium non suffecisset nec
sapuisset solus cum pisciculis panis
(etsi hic sedandæ vim sitis habuif-
set) nisi & vinum Dominus suppe-
ditâisset, in quo scilicet vino pisci-
culi natate gaudent mortui, sicut in
aquis natitare amant vivi. Verum
aliud fuit divinæ sapientiæ consi-
lium, vinum promiscuo populo id-
cir-